I/14

Salue. essem lupo ceruario obliuiosior; si tue frictionis
commodum oblitus fuissem. Doctissime: quo tibi pacto gratas
gratias agam plane sum ignarus. etsi nomen tuum in ore
doctissimorum celebrius reddere posse me diffidam. hoc
tamen a memori mea mente abolebitur numquam; quin
si hactenus ostentorem me tui nominis preconem exhibuerim,
uocalissimum eruditionis tue buccinatorem agam. pro tua
tam graphice, concinniterque conscripta epistola non est quo gratifi
cari queam. hoc tamen certo tibi certius persuadeas, eum
me fore, qualem me predico; hoc est tui nominis quibus
immarcessibilis; declamatorem aeternum; tui studiosissimum;
consectatoremque infatigabili studio imitatissimum. tue enim
littere; quo nihil frequentatius; modos et incitamenta dat nobis laudan
di tui. Et utinam ea mihi daretur facultas tecum uiuendi
tecum emori uellem. quid enim prestantius esse potest quam cum
uiro omnibus fortune, corporis atque animi dotibus cumulatissimo, utpote
ingenio perspicacissimoque memoria singulari, studio infatigabili, ubertique
facundia uiuere. qui sit ex omni ingenii aleam positus et eius
opera adunguem leuigata A Momo quidem carpi nequeant.
plura alias. Doctissime Joa. ueniet ad te libellus noster
Lepidus Maffei Phegei. et ob festinata Hieronymi nostri
abitionem ex officina nostra elimatius exire non potuit. te ipse
non ut Criticum sed amicum censorem an publicum doctorum
conspectum mereatur uerecunde adibit, cui precor pro tua
modestia consulas. et mihi sepius scribas ego mutuum rependam.
Vale et mutuiter me ama. Ytl vale raptim Crato.

Anno 1511.

Rudolfus tuus
mancipatissimus.

F°. 11

Venerabili ac erudito
viro; Ioachimo Vadia
no; illustriū artiū
consultissimo fautori
suo adamato.